

**DIES OCTAVA SEPTEMBRIS.
DE S. CORBINIANO PRIMO EPISCOPO
FRISINGENSI IN BAVARIA
VITA**

**Auctore Aribone episcopo Frisingensi Ex editione
Caroli Meichelbeckii in Historia Frisingensi
tom. 1, parte altera.**

CAPUT I.

**Sancti natales ac nomina, secessus in cellam ad
templum S. Germani, miracula ibidem patrata.**

[Post obitum patris natus, primum Waldekisus deinde Corbinianus appellatus,] Dum cupimus ad ædificationem audientium beati Corbiniani vitam stilo brevissimo explicare, virtutesque, quas per eum Dominus fecit; primo necesse est sancti Spiritus implorare suffragium, quatenus ejus adjuvante gratia, digne possimus tanti Viri Dei utiliter enarrare miracula. Venerandus igitur Dei famulus Corbinianus ortus fuerat ex regione Miltonensi, vico natus, qui dicitur Castrus, ex patre Waldekiso & matre Corbiniana. Quo nondum nato, genitor ejus languore correptus rebus excessit humanis. Quo post obitum patris nato, mater ejus genitoris sui nomine ex sacro eum fonte fecit ablutum, ac postea illius amore compuncta nomen ejus mutavit, eum vocavit Corbinianum.

[2] Qui dum bonæ indolis excrevisset, divina inspiratione compunctus, [juvenis in cellam ad S. Germani ecclesiam secedit & alios instruit.] sacræ religionis officium viriliter diligebat, cœpitque divinæ Scripturæ sagacissimus indagator existere, psalmodiam diligere, jejunium amare, vigiliis & orationibus sanctis insistere, pauperes recreare, hospitalitatem sectari, & in boni operis cultu studiose

persistere. Ad hoc quoque divino perductus amore, ut totam mundi concupiscentiam a juventutis relinqueret flore, & sanctæ continentiæ ac suæ castitatis solertissimus custos existeret, ad beati confessoris Christi Germani ecclesiam in eodem castro constructam devotissime se collocavit, atque juxta eam parvum sibi construxit ergastulum, tantum solitudine delectatus, ut nihil aliud possideret, nisi tantum ministros, qui sibi exterioris necessitatis solatium exhiberent: quos cottidie sacris studuit disciplinis instruere, ut suæ imitatores existerent vitæ.

[3] Multa quoque cæpit ad illum credentium populorum turba confluere & sacra ejus monita diligenter excipere: nam quidquid ex oblatione fidelium susceperat, excepto victu necessario, pauperibus erogavit. [Mustum, rupto dolio, precibus sistit:] Vindemiarum quoque tempore, dum quidam ei vindemiarum primitias afferrent, ministri ejus in cellario vas inde non modicum impleverunt. Contigit autem cujusdam noctis silentio, ut mustum vehementer intumesceret; sed cum magni fervoris vim vas sufferre nequisset, spinam tam fortiter ejecit, ut ejus sonitus in cella ad aures Viri Dei pervenisset. Qui statim intelligens, quod gestum fuerat, sese in orationem fixis in terram genibus projecit, silentium suum ut servaret, hoc indicare distulit ministris, sic pernoctans orando, usque dum matutinas Deo laudes persolvebat. His peractis ex more tintinnabuli signo ministros convocans, suspicionem, quam de vino habuit, eis indicavit. Tunc quoque frater, qui cellario præerat, Ansericus nomine, arrepta clave festine cellarium reseravit, & in introitu pede spinam invenit, & in manus tulit. Qui dum ad vas accessisset, res mira apparuit, quia tam incolume inventum est mustum, ut nec gutta quidem foras exiret. Quod dum Viro Dei nuntiavit, omni cautela miraculum silere decrevit.

[4] [mulam suam, ut edoctus ab angelo] Quadam vero die fur quidam, instigante diabolo, mulam Viri Dei foras reperiens abstulit, eamque ascendens propinqui saltus se immergebat latibulis. Ministri vero Dei vespera appropinquante, mulam quærentes, invenire non poterant, huc illucque quærendo discurrentes per latera montium & ima convallium silvarumque latibula, nec non & ea loca perscrutantes, ubi prius mula solita erat pasci, usquedum nox eis ita tenebrescebat, ut coacti vacuique domum reverterentur, & damnum de mula Viro Dei retulissent. Ipse autem leniter consolatos dimisit, seque in orationem prostravit, sicque orando permansit, usquedum Matutinorum solemniis debitas Deo laudes implevit, ac deinde cum ad refocillationem lassı corporis requiesceret paululum, angelus Domini in ipso matutinali crepusculo ei per visum apparuit, qui furem cum mula advenire debere prædixerat.

[5] [prædixerat, fur divinitus castigatus] Ille autem a somno suscitatus gratas Deo retulit laudes, atque beato Germano, in cujus ecclesiæ foribus tunc ipse manebat: aperta que fenestra cellulæ, signo ex more tintinnabuli suos ad se vocavit ministros. Quibus adstantibus præcepit, ut venientem furem cum mula minime læderent. Sed hoc nequaquam appetitu vanæ gloriæ ministris prædixerat; sed ut eorum mentis insaniam mitigaret; ne furore coacti Dei virtutem mutarent in insaniam, aut ne rei sanguinis in ejus persecutione fierent. Qui dum vix verba præcipiendo complexisset, ecce ostium cellulæ, ubi Vir sanctus cum discipulis loquebatur, mula ingressa est, & super se sedentem obtulit furem, rigidum & quasi exanimem dorso illius adhærentem, quasi super eam ligatus esset, ita ut, si vellet, descendere nequivisset. Qui dum Viri Dei jussione depositus, & humo projectus instar ligni * lapidis, amens & insensatus jacebat, cœpit Vir eum Domini tam increpatione, quam ammonitione a sua nequitia quasi a gravi somno *.

[6] Qui dum quasi dormiens expergefactus esset, timorem dimisit animi, [reducere compellitur:] confitendo atque pavendo malum quod Viro Dei fecerat, professus est, se amplius non debere peccare, quamvis inopia vita expirasset. Eoque prostrato jacente, & confitente, quod vitam mutare debuisset *, eum Vir Dei de humo jussit resurgere, qui tam concite surrexit, quasi rigidus atque contractus minime fuisset: & sic suæ misericiæ referebat historiam, quomodo in dorso mulæ pernoctaret *, tot montium summitates, atque ima convallium, qualiterque silvarum atque veprium densitates perambulasset, quasi a mula vinctus fuisset: quibus dictis veritatem vulnerata facies declarabat. Ipse enim ab irrationabili animali adductum se sine scientia sui ad Virum Dei fuisse professus est, & quia intempesta nocte viam evadendi, vel latendi reperire minime potuisset.

[7] Sed quid mirum, quod orationes Justorum, Deo largiente, [hinc auctor orationis vim exponit.] valeant vincula reprobis injicere & a mentis industria revocare; cum tantam Deus electis suis præstat gratiam, ut cum rerum necessitas exposcit, mira quæque ex prece faciant, aliquando vero ex potestate, cum etiam Johannes dicat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri? Quia ergo Filii Dei ex potestate sua fieri possunt, quid mirum si signa facere ex potestate valent? aut quid mirum, si signa per orationem agere valent, cum Dominus suis fidelibus promisit dicens: Omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fient vobis? Orationis namque virtute semper sunt signa ostensa, mirabilia demonstrata. Nam Moyses per orationem Pharaonem superbum regem in mare Rubrum demersit, Ægyptios delevit, & Dei Populum liberavit. Josue occidentem solem tamdiu orando stare fecit, donec hostes pugnando delevit. Helias tribus annis cælum, & mensibus sex ab imbre orando coërcuit, & cum voluit, orando pluviam tribuit. Iste namque Vir sanctus oratione

alligavit reum, ut a nequitia suæ animæ solveretur, & ad pœnitentiam reverteretur; eique tres argenteos dedit, atque admonuit, ne coactus furtum faceret. At ille accepto munere lætus recessit.

[8] Cœpit namque longe lateque fama sanctitatis ejus crescere, [A multis & ab ipso Pippino Majore domus per aulicum invisitur:] & fidelium ad eum nobilium & ignobilium utriusque sexus turba confluere, æternæ vitæ ex ore illius verba libenter audire, tantumque eximietas vitæ illius perflagrabat, ut ad summum tunc temporis regem Pippinum rumor sanctitatis ejus perveniret. Quique unum ex carissimis sibi optimatibus ad Viri Dei cellulam trans mittebat, seque humillime suis * precibus commendabat. Multique ad eum senes & nobiles concurrentes, ut pro se oraret, rogabant; alii autem sua xenia ei orationis causa mittebant. Tunc Vir Dei crebris advenientium colloquiis occupabatur; sed mens ejus magno inde tædio afficiebatur, quod magnis fletibus atque lamentis se abstergere nitebatur, tactusque dolore cordis intrinsecus suspiriis afflictus, gemitibus est frequentatus, quia tranquillitatem, quam quæsierat, & solitudinem, quam desideraverat, se amisisse perspexerat, & paupertatem, quam amaverat, sibi deesse valde pertimescebat, & adesse sibi divitias, quas noluerat: orationis studium ultra consuetudinem amittere, in responsis venientium, & in acceptione dantium, & in dispensatione egentium occupatum. In his quoque tribulationibus fatigatus quartum decimum in sua cellula impleverat annum.

ANNOTATA.

Hinc apparet, quod Sanctus id temporis non cum ministris suis, sed solus matutinas Deo laudes persolveret: quippe ministros suos leniter consolatos dimisit, seque in orationem prostravit, sicque orando permansit, usque

dum Matutinorum solemnibus debitas Deo laudes implevit. Deinde obdormivit, ac denique signo ex more tintinnabuli suos ad se vocavit ministros &c. Unde colligimus, eodem modo intelligendum esse biographum, dum num. 3: Silentium suum ut servaret, hoc indicare distulit ministris, sic pernoctans orando, usquedum matutinas Deo laudes persolvebat. His peractis, ex more tintinnabuli signo ministros convocans &c. Hæc autem non favent Benedictino S. Corbiniani, ejusque ministrorum monachatus; si enim Benedictini fuissent, ad matutinum officium concelebrandum secundum Regulam convocati fuissent.

CAPUT II.

Primum iter Romanum: consecratio episcopalis suscepta: reditus in Galliam & acta ibidem.

[Romam profectus] Tunc demum iniens consilium, ad limina sacratissima beatorum apostolorum Petri & Pauli orationis causa ire decrevit, & ibi se Apostolici doctrinæ, & orationibus commendare, & si fieri posset, implorare ab eo sibimet & suis, qui cum eo venirent, in quodam angulo latitare, ut ad sanctorum Apostolorum patrocinia potuisset secretius pervenire, & ibi sub sanctæ conversationis regula liceret ei vitam ducere. Movit autem Vir sanctus comitatum suum cum universis suppellectibus, & incolumis cœptum perfecit iter; oratione autem facta in confessione beatissimi Apostolorum principis Petri, ad beatæ memoriæ Gregorii Papæ pedes se prostravit, eique secretum animi sui diligentissime replicavit, & quibus necessitatibus coactus suum amisit secretum, & quomodo tranquillum per humanos favores perdidit portum, & quibus sæcularium rerum tumultibus quasi navis in medio mari jactaretur fluctibus, & quod vix solitudinis marginem recolendo prospiceret. Et plus etiam formidanda adjecit, quia temporalia a multis sibi

concessa munera sibimet ad perditionis cumulum evenire posse speraret, quam ad istius præsentis vitæ solatia.

[10] Venerabilis quoque & prænotatus Papa Gregorius, [locum ad latitandum postulans, a Gregorio II] audiens Viri Dei verba, intellexit zelum animi ejus; qualiter & quam magnam in Dei opere habebat animi puritatem; erat enim Vir Dei valde facundus, & humanitate præcipuus, conversatione inter omnes præclarus, contra vitia ad irascendum facilis, velox ad ignoscendum conversis, non piger in bona operatione, deditus orationi, studiosus psalmodiæ, præclarus in vigiliis, frequens in jejuniis, largus in elymosinis *, in omni semper bono promptissimus, vir mitis atque modestus, nulli pietate secundus. Sed quid de eo dicendum est, quem omnibus benevolentibus, simulque indigentibus omnis boni adjumentum, quantum potuit, fuisse non dubium est? Itaque Vir Dei Spiritu Sancto repletus, unicuique congruebat sexui & ætati, ut per sanctæ conversationis studium potuisset unicuique sanctarum exempla virtutum ostendere.

[11] Sed hæc beatissimus Papa Gregorius intuens, cœpit cum suis inire consilium, [episcopus consecratur:] ne tanti luminis fulgor sub modio absconderetur; sed secundum dicta Veritatis supra candelabrum positus, multi ab eo illuminarentur ingressi; cogitavitque, ut ex auctoritate beati Petri apostoli sacerdotalem ei honorem injungeret. Tuncque in Viro Dei, quæ consultando tractaverat, opere perficiens, per singulos gradus ad summum usque pontificalem eum provexit honorem. Vir itaque sanctus, quamvis coactus, tamen dono Dei & divini muneris largitori consentiens, Psalmistæ non immemor, timens, ne tali fraudaretur honore, dicentis: Quia noluit benedictionem, elongabitur ab eo; quamvis honorem fugiendo humilitatem continere voluisset, obedientiam tamen majorem judicavit, ne Patrem resistendo

contristaret, vel divinæ voluntati contraire videretur. Coactus ergo sacerdotalem suscepit benedictionem, acceptoque pallio cum benedictione, & adjutorio beati Petri apostoli utique * sanctæ prædicationis officium exercere ubicumque in toto orbe potuisset, ex tanti Patris concessu potestatem habuisset.

[12] [inde in Galliam reversus, prædicat: latronem supplicio liberare] Tantoque accepto honore & privilegio, in Galliam reversus est: cœpitque divinum largiter ex ore ejus emanare verbum, & melliflua ad instar vivi fontis in aures audientium effundi prædicatio; tunc quoque per universam Galliam cœpit verbum doctrinæ illius in virorum, ac mulierum moribus sanctis crescere, & tam sacrarum virginum, ac viduarum, quamque & monachorum & in clericorum pectoribus dilatari; ipse vero verbum Dei administrans, quasi prudens dispensator Ecclesiæ Christi, unicumque mensuram tritici hilari advenientibus vultu cœpit largiri. Interea contigit, ut Major-domus in Gallia, qui erat Pippinus, suis accersiret eum obtutibus; illo vero ibidem * proficiscente, contigit in via, ut quidam reus ad damnationis ultimæ suspendium duceretur propter latrocinium, nomine Adalpertus, manibus post tergum vinctis, & torta in collo illius pendeat, & hi, qui funem tenebant, jam eum trahere ad damnationem conabantur.

[13] [frustra nisus, de peccatis confessum] Cœpit namque Vir Dei totis nisibus festinare, & sub testificatione divina, alta voce clamare, ut ejus exspectarent adventum. Cum autem adpropinquasset, concitus ex equo prosiliens, ad reum ipsum cucurrit, & principes hujus operis qui essent, modis omnibus inquisivit, eosque inveniens, cœpit humillime postulare fixo in terram capite, ut sibi reum donare dignarentur, & pœnas differre, usquedum ad summum senioremem citissime pervenire potuisset; hisque minime petitioni illius obtemperantibus, dicentibusque, publicam sibi * functionem nullo modo audere

prætermittere, ne forte illius punirentur pœna, qui tanta & talia commiserat crimina; ne regales ad sui damnationis exitium commovissent aures. Tunc Vir Dei reum admonere studuit, assistentesque longius amovit, ut omnem ei putredinem, & vulnus animæ suæ confessione purissima detegeret, tam in factis, quam in locutionibus, atque cogitationibus pravis: eumque arripiens, ut omnis malitiæ suæ pœnitentiam puriter ageret, admonere curavit. Ipseque reus emendationem promittere studuit, & * debere vitam mutare, sæculum relinquere, commissa deflere, ventura cavere.

[14] [signo Crucis communit,] Tum Vir Dei signo Crucis æternæque salutis caput illius, & pectus munivit, & lacrymabili vultu reversus, equumque ascendens, sub omni festinatione cœptum carpebat iter. Quod dum eodem die perficere minime valeret, iterando pernoctans & secundum diem ad perfectionem ipsius itineris complens, ad solis occasum ad palatium pervenit, & ex caballo concitus descendens, summis pedibus principis advolvitur, humillima prece deprecans, ut qualitercumque de pendente illo fuisset actum, corpus ejus sibi donare non dedignaretur, & quomodo a ministris ejus pro eo precabatur, & his denegantibus, quanto inde mœrore secederet, plenum exposuit. His princeps præfatus compassus est, & eum, quem viventem tantus Pontifex a ministris solvere non poterat, punitum jam, quid aliud quis existimabat, nisi mortuum esse. Quem Episcopo præcipiens * reddere, missique utrorum * directi *, videlicet domini venerandi Pippini, & beati Corbiniani episcopi epistolam deferentes.

[15] Qua accepta tandem die tertia vesperascente, inaudita, [eumque triduo suspensum, vivum dono accipit:] & valde incredibilis res! ita vivus inventus est latro pendens in patibulo, ut eum venerabilis vir Corbinianus muniverat episcopus signo Crucis sanctissimo Sed quid

mirum, si sanctus Vir Dei ejus vitam a Domino ita imploravit oratione & lacrimis ad gloriam Dei, ut nec corporis pondere collum ejus dissolvebatur *, nec tortarum obpressio anhelam ejus suffocavit *, qui si fidelis vel infidelis fuisset, ignorabatur. Quid mirum, si iste Vir Dei in virili sexu exaudiebatur, dum in fragili sexu fœmineo beatam Christi virginem Scholasticam ita a Deo exauditam legimus, ut ea, quæ a sanctissimo fratre Benedicto abbate petiit, obtinere non potuit, quod * ei divina virtus poscenti ministravit *. Voluitque ipsa virgo castissima, ut Frater ejus cum ea pernoctasset in oratione; quod ab eo minime, potuit obtinere, petiit a Domino, & tantam vim ventorum, & imbrium impetravit, ut ex eodem tecto, in quo loquendo consederant, nullus egredi valebat *, ut qui ibi rogatus noluit manere, mansit * invitus.

[16] Si ergo a tam fragili sexu sanctus vir Dei Benedictus orando potuit retineri, [qui sub ejusdem Sancti disciplina pie postmodum vixit.] quid mirum, si beatus Corbinianus infideles, aut etiam fideles orando potuerat superare, qui se a divino tramite nunquam abstrahere. Sicque factum est, ut de pœnis depositus Adalpertus non tantum vivus, sed etiam inlæsus inventus est *, & ad palatium ab his, qui missi fuerant, deductus est. Ad cujus intuitum, quasi ad ingens spectaculum multitudo nimia confluebat, & non tantum incolumem, sed etiam valentem contemplantur, & a multis habebatur insigne. Tunc idem Adalpertus quasi passer ereptus a laqueo pœnarum, habitum mutavit, & in sanctæ conversationis vita s sub magisterio Viri Dei post multa temporum spatia finem vivendi fecit.

[17] Ex eo quoque vir Dei Corbinianus venerabatur ab omnibus, [Corbinianus ad pristinam cellam regreditur.] maxime vero a domesticis fidei. Cœpit namque gloriam sæculi pertimescere, & honoris ambitionem expavescere, tranquillitatem secreti, quam perdiderat, multipliciter

lamentare, divitias sibi locupletatas quasi avari amittendo deflere. Ad pristinum se collocavit ergastulum, in foribus beati Germani ecclesiæ, ibique sub protectione ejus proprium quæsit secretum, turbas hominum devitavit, paucosque secum clericos retentavit, quos admonendo & docendo deserere non valebat. Quibus sub operationis suæ cura victum ministravit, & Verbi Dei semina cottidie eorum pectoribus infundebat. Ibique continuis septem annis permanens, advenientibus sibi secumque commorantibus Verbum Dei sedulo ministravit.

ANNOTATA.

Id est Romani Pontificis, qui a S. Petro, Apostolorum principe, cujus legitimus successor est, apud veteres Apostolicus & domnus Apostolicus frequenter appellatur.

Confessio est sepulcrum seu crypta, in qua martyrum corpora asservantur, & alias etiam martyrium appellatur.

S. Gregorium II designat, qui anno 715 Constantino in Pontificatum successit, & cujus Acta apud nos illustrata sunt tom 2 Februarii, ad diem 13. Porro cum infra num. 12 & seq. S. Corbinianus jam episcopus & in Galliam reversus, egisse dicatur cum Pippino Heristallo, qui anno 714 obiit, constat, in alterutro, Pippini scilicet vel Gregorii nomine ab Aribone erratum esse. Plures censent, retinendum Gregorium, & pro Pippino Carolum Martellum, ejusdem successorem, substituendum: alii malunt Pippinum retinere, & pro Gregorio legere Constantinum. Ego priorum sententiam præferam, si de solis Gregorii Pippinique vocibus ageretur: verum hæc opinio tantum difficultatis habet tum ex ipso Aribone; tum aliunde, ut posteriorem magis probabilem censeam. Vide dicta toto § 4, ubi hanc Sancti profectionem ad annum 709 sub Pontificatu Constantini retulimus.

Id est, timeret: quomodo Virgilius lib. 1 Æneidos dixit: At sperate deos memores fandi atque nefandi. Surlus luxatam hanc periodum ita reddidit: Quia temporalia a multis sibi concessa munera sibi potius ad perditionis cumulum evenire posse timeret, quam ad præsentis vitæ solatia.

Forte legendum in gressu, vel ingressi ponitur pro viatores Apud Surlum sic legitur: Ut secundum dicta Veritatis, supra candelabrum posito illo, multi ab eo illuminarentur.

Pallium archiepiscopale, signum plenitudinis potestatis, etiam episcopis ob egregia merita sæpe concessum legimus.

Ex his liquet, Sancto, cum episcopus consecraretur, nullam certam sedem aut episcopatus locum assignatum fuisse.

Pippinus Heristallus obiit anno 714: non potuit igitur cum S. Corbiniano jam episcopo agere, si hic, ut narrat Aribo, a S. Gregorio II, qui anno 715 primum creatus est Pontifex, fuerit consecratus. Vide dicta ad lit. d.

Tortam Surlus restim recte interpretatus est. Torta apud Cangium in Glossario idem est, quod retorta, quæ vox apud mediæ ævi scriptores virgam tortam, qua sepes contineri solet, significat.

Vox senior apud veteres modo regem, modo episcopum, principem, abbatem &c. denotabat, ut videre licet apud Melchiorem Goldastum tom. 1 Rerum Allemanicarum, parte 2, pag. 253. Hoc loco Majorem-domus Pippinum significat, uti eam hic etiam interpretatus est Surlus.

Vitiosa phrasi indicat, timuisse ministros, ne Major-domus neglecti muneris pœnas repeteret.

End Notep Fidelem seu Christianum fuisse, colligitur ex iis, quæ num. 13 narravit de peccatorum confessione.

De S. Scholastica virgine actum est in Opere nostro ad diem 10 Februarii, ubi pag. 402 ex lib. 2 Dial. S. Gregorii refertur memorabile prodigium, quod hic attingitur. Ad argumentum, quod pro S. Corbiniani monachatu Benedictino hinc desumit Meichelbeckius, responsum est in Commentario num. 18. Porro quod hic de virili & muliebri sexu observat Aribo, inane est.

Id est: cœpit ipse ob affluentem divitias, non secus ac avarus solet ob amissas, contristari.

Hæc omnia Sancti, ejusque clericorum monachatum Benedictinum non satis sapiunt: etenim si Benedictinus fuisset, copiosa illa, de quibus supra munera ad fundandum monasterium, monachosque congregandos, verisimilius adhibuisset.

Ex dictis liquet, S. Corbinianum primum aliquo tempore in Gallia prædicasse, deinde vero septem continuis annis in pristina ad S. Germani ecclesiam cella commoratum fuisse, priusquam secundum iter Romanum arriperet.

CAPUT III.

Secundum iter Romanum, actaque in eo.

[In secundo Romano itinere in Norico prædicans] Sed quanto secretius se in ima loca contulit, eo amplius fama ejus sanctissima altius eminebat in publicum, & cottidie a supervenientium affligebatur tumultibus. Sed ille quasi sævam congeriem supervenientium sustentare non valens, & quasi concussam cellulam, & conquassatam medii maris fluctibus naviculam deflens, ad pristinum se contulit auxilium orationis, iterumque Romam pergere disponebat, & a tanti Patris nomine a solutionem

percipere & secreta monasterii petere, atque alterius se magisterio commendare pertractans, si eum summus Pontifex sub patrocinio, ut prius poscebat, beati Petri militari sub manuum suarum concessisset sudore. Qui non jam publicum a Gallorum partibus arripiens callem, sed secretiorem eligens viam, Allemaniam pervenit, deinde Germaniam, & sic Noricam veniens, ibi quamdiu * demoratus, verbi divini seminavit doctrinam, ibique nonnullorum sacra verba penetrabant gratia Dei corda in augmentum fidei Christi. Quæ gens quoque adhuc rudis erat, & nuper ad Christianitatem conversa.

[19] Eo namque tempore erat ibi devotissimus Theododux, [a ducibus Theodone & Grimoaldo benigne exceptus] insignis potentia, & virilis virtute, cum filiis decorus, & nobilium virorum alacritate præcipuus: cujus longe lateque felix fama succreverat. Provinciam ipsam sibi, & suboli illius in quatuor partes divisit, carique ibi habebantur sacerdotes, sicut novitiorum mos esse compellit. Qui dum virum Dei Corbinianum ibidem advenisse cognovit, ad se invitavit, eumque humillima supplicatione conatus est obsecrare, ut ab eo honores sibi debitos recepisset; sed obtinere non potuit, quia Vir Dei maluit paupertatem potius tranquillam eligere, quam divitiis frui perituris. Cui multa munera largitus est dux denotatus, vale fecit abire. Eoque relicto in partes filii ejus nomine Grimoaldi incedens *, qui eum honorifice recepit, & de tanti Pontificis gratulabatur adventu, non tantum ipse, sed etiam universa turba, quæ fuerat in parte ejus. Cum autem gustasset dulcedinem doctrinæ illius, cœpit multis blanditiis eum supplicare, & nimiis insistere precibus, ut eum nequaquam desereret; pollicebat * enim eum conparticipem facere filiorum suorum.

[20] [& donis ditatus, iter prosequitur,] Sed Vir Dei ad ejus promissionem ab statu suæ mentis minime declinavit, sed

inmobilis ad explendum iter arreptum permansit, & se nequaquam recedere ab hujus tramitis perfectione, professus est. Idem vero Grimoaldus munera illi non modica largitus est, vale fecit abire, direxitque ministros, qui eum cum summo honore deducerent a finibus Noricensibus, usque in Italiae partes. Qui jussa complentes sub debito honore, benedictionem petentes, reversi sunt. Sed & silenter, ignorante Viro Dei, actoribus vel habitatoribus Alpium mandaverunt, tam Venusticae vallis, quam aliis circumquaque, ut si quando ei reverti illis partibus alicubi contigisset, eum a finibus Bajoariorum nequaquam permisissent abire, nisi ad praenotatum principem pervenisset.

[21] [ursum sibi obsequentem facit.] In ipso autem itinere Romano pergendo, cum in Breones pervenit, juxta silvam quandam in castris manebat. Sed dum custodes equorum incaute obdormierunt, ita ut nullus vigilaret, ursus e silva egrediens sagmarium Viri Dei excerptens comedit. Mane autem facto, dum expergiscebant custodes, invenerunt eundem ursum super ipsum sagmarium jacentem, & comedentem illum. Quod dum Ansericus praedictus Viri Dei minister agnovit, beato Corbiniano dixit. Hoc autem Vir Dei patienter serens, dixit eidem Anserico: Tolle flagellum istum *, & vade ad eum, & viriliter illum verbera, & castiga pro delicto suo, quo nobis nocuit. Quod dum ille agere formidavit, dixit ei Vir Dei: Vade & noli timere, sed ut dixi tibi fac, ac postea mitte super eum sellam sagmarionam *, & sterne illum, & illam sagmam super illum impone, & mina cum aliis cavallis in viam nostram. Ipse vero Ansericus fecit, sicut praeeperat ei Vir Dei, & appositam super se sagmam ipse ursus quasi domesticus equus eandem sagmam usque ad Romam perduxit, ibique a Viro Dei dimissus abiit viam suam.

[22] [A Longobardorum rege munifice receptus, dimittitur:] Cum autem ad Tredentanum castrum Vir Dei

pervenit, ubi cunc a Longobardorum rege comes nuper erat positus, nomine Husingus, hic quoque cum Viri Dei emissarium valde decorum forma vidisset, emere concupivit. Quem cum emere non potuit, furto silenter tollere jussit; cui vindictam a Deo ordinatam ad tempus narrationis, & ordinem reservamus. Igitur Vir Dei sanctus Papiam veniens, a præcellentissimo Longobardorum rege, & Deo devoto cum omni veneratione susceptus est, & septem ibi diebus propter sacram prædicationem Verbi Dei, quæ ex ore illius inundabat, retentus est. Cujus se orationibus humillime idem rex commendavit, munera largitus non modica, vale factum * abire permisit; in cujus comitatum cujusdam civitatis præpositum ire idem rex jussit, & usque ad portum amnis Padi deducere, & Virum Dei cum omni comitatu suo diligenter transponere, & inde usque ad Romanos fines alios cum eo missus suos pergere fecit, ut darentur ei per viam totius necessitatis solatia.

[23] Cum autem pervenissent ad portum Padi fluminis, [equus ipsi furto aufertur.] is, qui cum eo missus fuerat, videns delectabilem equum Viri Dei, animo hærens emere cupiens *. Quod * Vir Dei minime se daturum dixit, sed summo Romanæ urbis Pontifici ducendum insinuavit. Is namque antiqui hostis pervicacia accensus, ad suæ damnationis cumulum, ad ultimum transeuntibus amnis portum, reservare suis silenter subjectis præcipiens, Dei quoque Viro transposito, subito se equo præponens cursu velocissimo, is qui missus fuerat, in vicinam silvam se immergens, cum suis huc illucque discurrens, simulabat se quærere latronem, Tum demum vacuus revertens, raptorem se non nosse testatus est; Viri quoque Dei provolutus vestigiis deposcens, ut per negligentiam suam ad regales aures minime accusaret. Vir quoque sanctissimus, patientiæ suæ custos, hilari vultu valefactum amisit, Divinæ vindictæ non ignarus. Cujus rei finem divino adjutorio ad posterum notandi ordinem reservamus.

[24] Nam Vir Dei, tramite arrepto, cœptum carpebat iter. [Feria sexta piscium inopia laboranti] Dum autem quadam die Tusciæ partibus pervenisset, sexta feria jejunii, in qua observare oportebat ab esu carniū diem, videntes hi, qui præerant itineri, quod hora gustandi tardius protrahebatur, & quod caballi calorem toto diei spatio sub pondere nequiverant sustinere, dixerunt, ut vel paullulum repausarent, & caballos repascerent. His dictis, is, qui alimenta ministraverat, dixit, se ad esum Episcopi nihil præter carnem habere, quod * eo die non comessurum Episcopum noverat. Hoc eo dicente, Vir Dei sursum aspiciens, vidit aquilam in aëris altitudine avolantem, ait: Ecce avis, per quam nobis Dominus misericordiæ suæ largitate daturus est alimenta. His dictis ab intuentium oculis longius aquila recessit; quæ de tanta oculorum altitudine acie piscem in maris fluctibus vidit, submissis alis arreptum ad littus perduxit.

[25] His ita pergentibus quidam cocus * Pontificis, more iter agentium hoc videns, [aquila ingentem piscem defert.] ad litus cucurrit, invenit aquilam in piscis adhuc vivi sedentem capite, piscem huc illucque palpitantem. Qui cum advenisset, aquila piscem dimisit, & evolavit. At cocus arreptum piscem obtulit Pontifici, & factum aquilæ enarravit. Magnitudo autem piscis tanta erat, ut non solum Pontifici sufficeret, sed etiam cunctis, qui apud illum comederunt. Res mira, & valde inaudita, excepto antiquo miraculo, quod Paulo, & Antonio corvus ministraverat escam. Tanta enim divinæ pietatis est largitas, ut nusquam suos servos permittit * inopia consummari secundum Psalmistæ sententiam: quia inquirentes Dominum non deficient omni bono. Magna igitur eodem loco amœnitas, magnaque herbarum copia, & fons largus. Quid ergo ibi aliud datur intelligi, nisi quod omnipotens Deus, qui suum dignatus est pascere Servum, subvectioni ejus necessariam alimoniam ministrabat?

[26] Sed nequaquam aliud ejus miraculum prætereundum esse videtur. [Octiduo post alium piscem] In octavo namque die, quem prædiximus, similis * sexta feria quidam ex conviatoribus ad litus maris cucurrit: est enim delectabilis callis juxta mare euntibus, undarum tumultibus depressus. Is, dum iret per litus, vidit secus litus natantem piscem non modicæ magnitudinis, quasi pedum undecim longum. Quem dum deambulando intueretur, clamore valido auribus Viri Dei retulit. Qui cuncti relicto calle ad litus quasi ad ingens spectaculum cursitabant. Vir autem Dei, cum eum natantem conspexerat, intra semetipsum tacite cogitans, ne * fortassis sibi in esum (ut erat) a Deo transmissus fuisset; quendam suum ministrum, nomine Ansericum, (cujus longe jam superius memoriam fecimus) ex nomine vocans, quem bonam peritiam natandi habere noverat. Cui præsentem exuere indumentis imperans, nihil diffidentia in animo habere præcipiens, pugionem in manus sumere indicavit. Ipse vero verbis ejus confisus, vestimentis exutus, imperterritus quasi per humum mare ingrediens (erat viribus strenuus, alacer ingenio.) Qui in mare mersus in interiora se contulit, sinistra manu pernatans, dexteram super undas elevans, lancea summis nisibus piscem tam viriliter percussit, ut ferrum hastæ sequeretur capulus. Piscis idem statim se ad altiora maris retorquens, ipse namque summitatem tenens hastiliæ secutus est. Qui cum diu per mare natando se fatigasset, & nihilominus persequendo eum percussor torqueret, & ad litus eum vertere nitebatur. His ita decertantibus, jam longius educti fluctibus, ita ut vix jam ad litus perspexerat, confisus quoque in verba Viri Dei sumebat fiduciam.

[27] [ab uno e suis capi jubet.] Quod dum piscatores quidam intuebantur, ex latere retia relevantes, his relictis, certatim ad periclitantis denavigaverunt spectaculum. Qui dum vulneratum piscem intuerentur,

totis nisibus festinabant, atque ab æquore eum in navim voluerunt adtrahere. Sed dum prænotatus Viri Dei minister brachium in summitatem puppi * immitteret, cæperunt piscatores pugnis, & percussionibus reverberare, ut ex tanta præda reverteretur vacuus ad litora. Qui dum alacer pedem immitteret puppi, flagellis intrepidus viriliter se erigens, arrepto uni ex manibus remo, cœpit percussores suos cædere remo. Qui illico timore percussi per orationes Viri Dei illius se pedibus submittentes, navim ad litus usque traxerunt cum præda. Tunc Vir Dei, & qui cum eo erant, immensas Deo referebat laudes, loca ad applicandum aptissima perspicientes, castra metati sunt, cum tanta abundantia gloria, ut piscem eundem nequaquam cunctus comitatus illius consumere poterat, residua salientes in suppellectilibus condiderunt. Refectis autem omnibus, hi qui aliena rapere conabantur, dignis sunt verberibus castigati, atque a Viro Dei admoniti, ne ulterius principis apostolorum beati Petri peregrinis nocere ullo modo auderent: Duos eis premisses dare præcipiens, ne de operatione diei vacui recederent, abire permisit.

ANNOTATA.

Itaque non secretiori modo itinere, sed etiam flexuoso ac longiori usus est: per Allemaniam enim Sueviam, per Germaniam regionem trans Danubium designat: qualiter etiam utraque regio vocatur a Walafrido Strabone, ejusdem circiter seculi scriptore, in Prologo ad Vitam S. Galli, apud Mabillonium sec. 2. Per Noricam hic Boioariam intelligi ex contextu liquet. Cur Sanctus hoc iter præ recto ac breviori elegerit, non constat.

S. Gregorii II, ad Indictionem XIV, sive annum 716 sic ait: Eo itaque tempore Theodo, dux gentis Baioariorum, ad apostoli B. Petri limina primus de gente eadem occurrit, orationis gratia.

Duos ex hisce Theodonis filiis novimus ex ipso Aribone, Grimoaldum scilicet, de quo mox & sæpius sermo recurret, & Theodoaldum, cujus viduam Pilitrudem Grimoaldus in sui suorumque perniciem incesto talamo sibi sociavit. Tertius ab Arnolfo Vohburgensi lib. 1 Miraculorum S. Emmerammi Diotpertus, ab Arnone vero episcopo Juvavensi in Indiculo traditionum, Theodbertus vocatur. Quæ autem cuique pars ducatus obtigerit, videri potest apud Marcum Hansizium Germaniæ sacræ, tom. 2, pag. 53, ubi etiam plura de laudato Theodone, ejusque commemoratis filiis reperies.

Novitios vocat, id est, non ita pridem conversos ad fidem per S. Rupertum.

Id est reciperet. His autem denotare videtur, instituisse Theodonem, ut Corbinianus in Boioaria suam cathedram figeret.

Grimoaldus in partitione ducatus Boiariam Australem, vulgo Sudergow, cum oppido Frisinga acceperat, inquit Hansizius ad lit. e laudatus, & constat ex Aribone. Arnolfus Vohburgensis lib. 1 Miraculorum S. Emmerammi illum Grimaldum vocat.

Clarissimus Roschmannus in Notitiis Mss. sæpe laudatis hic notat, non tantum Boiariam, sed etiam Tyrolim eo tempore sub Norici nomine venisse. Idem habet in Veldidena pag. 10 & 80.

Sagmarius equus est clitellarius, sive qui sarcinas portat: a voce Græca, onus jumenti sarcinarii.

Satis mirabilis est hæc historia; non tamen omnino insolitum simile Sanctorum in feras imperium. Porro Otto Frisingensis hallucinatus est, dum credidit, hæc contigisse, cum Sanctus jam Frisingensis episcopus esset:

libro enim 1 Chronici, cap. 24 sic scribit: Fertur de eo, quod quadam vice, dum pro ecclesiæ necessitate Romam pergeret, ursum saginarum (lege sagmarium) suum occiderit, cui Vir Dei capto saginam (lege sagma) imposuit, & ut eam deferret, præcepit; ac verbum Dei, omni gladio penetrabilius effectum, indomitam bestiam mandatis Viri Dei obtemperare coëgit.

Tridentum nota est in comitatu Tyrolensi civitas, concilio œcumenico ibidem celebrato celebris. Dum autem Aribo eam castrum appellat, loquitur improprie & castrum nomine urbem designat.

Erat is Luitprandus, qui anno 712 patri suo Ansprando suffectus, regnum Longobardicum usque ad annum 744 tenuit.

Supple equum. Est autem emissarius equus, qui ad propagandam sobolem destinatus est. Exempla multa dat Cangius in Glossario.

Ticinum, nunc incolis Pavia, Paulo diacono etiam Pavia dictum, urbs est episcopalis in ducatu Mediolanensi: fuit olim Longobardorum sedes regia, eratque Luitprandi, cum S. Corbinianus eo adveniret.

Padus indigenis Po, maximum Italiæ flumen & vulgo notissimum est. Per portum autem amnis Padi intelligit biographus locum, e quo in alteram fluminis partem traficiendum erat, ut liquet ex sequentibus.

Lege Missos. Missi vero dicebantur legati, aut qui a regibus aut principibus velut legati aut nuntii mittebantur.

Vitiosam & perobscuram periodum sic explico. Cum præfectus ille equum pretio sibi comparare non posset, rapere statuit. Itaque uni e suis mandat, ut eum tamquam

inter postremos transvehendum servet, deinde vero raptorem simulans, in proximam silvam velociter abducat. Deinde Sancto in alteram Padi ripam jam transvecto, sese primum cum suis inter Corbiniani conspectum equumque collocavit, ne equi raptor agnosci posset; mox raptorem insequi fingit, ac demum rediens, eum frustra a se quæsitum mentitur, & ne Luitprandus id negligentia suæ imputet, equi raptum ei celari flagitat.

Vitiosam periodum sic corrige: Piscis idem ad alteriora maris se retorsit, ipse vero pugionis capulum tenens natando secutus est.

Surius hæc ita habet: His ita decertantibus, jam longius eductus fluctibus, ita ut vix jam littus adspiceret, confisus tamen verbis Viri Dei, sumebat fiduciam.

Hæc Surius in hunc modum restituit: Cumque tantæ esset abundantia gratia, ut piscem eundem nequaquam cunctus comitatus illius consumere posset, residua salientes, in vasa condiderunt.

Significat, opinor, piscatores illos vapulasse non Sancti jussu & post cœnam aut prandium, sed Anserico, dum ipsi prædam extorquere conabantur, ut supra dictum est.

Surius habet, duos tresses. Differt autem tressis a tremisse, quod hic sit tertia pars assis vel solidi, ille vero nummus trium assium.

CAPUT IV.

**Reditus a Gregorio PP. imperatus: gesta in reditu:
accessus ad Grimoaldum Bavaricæ ducem.**

[Romæ a S. Gregorio quietum secessum frustra postulat:]
Ipse vero calle arrepto, Romam usque pervenit, & oratione facta ad utraque beatorum apostolorum Petri &

Pauli limina, ad summi Pontificis beati Gregorii præsentiam veniens, ad ejus se stravit vestigia. At ille surgere ei imperans, sedem juxta se ponere faciens, sedere præcepit. Qui cum sedisset, non modica dona tanto Dei viro obtulit, & cuncta sibi displicentia de sua conversatione enarravit, quomodo & quibus immensis fluctibus quatiebatur hujus mundi honoribus, & quomodo ei nec murorum claustra tranquillitatem præstare potuissent, & quantum hujus mundi formidabat divitias, utique qui nec unum volebat habere colonum. Secretum supplicans, qualiter * ei omnes perturbationes animi sui, atque angustias libere potuisset referre. Tunc coram eo lacrimis fuis flebili voce deplorans, qualiter suum secretum, inposito honore, perdidisset, & in pristina petitione persistens, ut ad cænobium eum ire permisisset, vel in quandam cellulam eum deputasset, vel in aliqua secreta silva ad operationem ei concederet agellum.

[29] His auditis, tantam humilitatem ejus miratus summus Papa, [in reditu occurrit funeri ejus, qui ipsi equum abstulerat,] eoque a se dimisso, ad secreta necessaria synodum congregavit, & in eorum collegio talia promulgavit. Quibus auditis, illi una voce omnes proclamabant, eum reverti ex multis testimoniis Scripturarum. His ita dicentibus Virum Dei in medium venire jussit. Quorum verbis fide recepta se victum considerans, ut injunctum sibi a tanto Patre officium nullo modo deberet amittere, & a lucro vacuus redire ad aream, cum summo ibi aliquantum temporis retentus honore, benedictione accepta, vale faciens omnibus, tristis recessit. Qui dum revertendo Papiam venisset, ad portam urbis feretro superpositum cujusdam mortui corpus efferebatur, cui universus secutus est urbis primatus. Qui mox ut Virum Dei contemplabantur, subtiliter de persona ejus atque vocabulo sciscitabantur. Erat autem hujus viri cadaver, qui caballum illius antea rapere præsumebat, quosque omnes pavor ingens invasit,

quia ipse desperatus a medicis facinus suum non abscondit, sed publice professus est.

[30] [& Ticini a rege exceptus, sublatum equum] Tunc quoque Vir sanctus cum omni humanitatis reverentia a rege receptus, regalem deducebatur in aulam; quia nequaquam principem latebant divinæ virtutis miracula, quæ per viarum spatia ab eo, & per eum fuerant gesta. Et propterea Miles Christi ampliorem ab omnibus recipiebat honorem, quamvis ille hoc totum libentissime voluisset silentio retentari *. Sedente autem rege, & cum eo Viro Dei, mulier ipsius tunc defuncti orbata viro & viduata, flebili vultu vestigiis Viri Dei provoluta est, deducens Viri Dei caballum, a viro suo machinis diabolicis, & nefandæ raptum insidiæ *, forma & specie decorum, quasi de obitu viri sui mortis reum, insuper ducentos solidos Viro Dei obtulit, dicens, virum suum eadem die percussum fuisse, in quo illecebrosis machinis viam Viri Dei impedire præsumpsit, & ut ex eadem percussione languor cottidie dolori fomitem ministrasset, & ut jam a medicis esset desperatus, sibi præcepisse, ut sub omni diligentia ipsum custodiret caballum, & Viro Dei, si Deo donante ibidem reversus fuisset, omnino redderet, & ejus facinus illi profiteretur, & insuper debitæ inpensionis ei aurum deferret, ut pro ejus anima Vir sanctissimus deprecari divinam clementiam dignaretur.

[31] [& munera ab illius vidua recipit & offensam remittit:] Quibus verbis edictis compassus eminentissimus rex, & dolore ac tremore compunctus concite ex throno prosiliens, genibus provolutus Episcopi, rogans *, ne hoc sperneret, quod mulier obtulit, & insuper suum reciperet, quod amisit. Vir autem Dei, ne totam eminentiæ suæ familiam contristaret, quam de morte tanti viri flentem conspexerat, & in magna esse desperatione animæ illius, universisque petentibus ad suscipienda, quæ mulier obtulerat, tandem coactus consensit, regem surgere

petiit, leniterque consolari cœpit, eumque rogavit, ne aliam quis pro ipso reatu ultionem reciperet, dicens: Quia non vindicat Dominus bis in idipsum, suisque illi orationibus, ut valeret, se adjuvaturum *, professus est. Fide recepta Viri Dei verbis, viduata mulier recessit.

[32] [inde digressus, dona pro alio equo furto item ablato] Non longe post cum summo ibi detentus honore & reverentia, Pontifex non modicis ditatus muneribus, a rege valefactus amissus est *, & cum omni necessitatis ordinatione & gubernatione ad Tredentinos pervenit fines. Cum autem non longe a castro venisset in prata, quæ appellabantur Rumanniana, quidam ex comitatibus suis emissarium, quem ibi Viro Dei fraudolenti consilio ipsius principis, qui tunc ibi erat, juniores furtu * abstulerant, conspiciens, cuidam jumentæ sequentem agnovit, & veretro nocuato calcibus jumentarum, macie magna indecorum, ita ut vix cognoscebatur *, Viro Dei indicare curavit. Qui eum se dissimulans agnoscere, suis omnino inde silere præcepit. Cum autem * urbis portam adpropinquaret, ecce jam antea prædictus comes Husingus obviam veniens, pedibus illius provolutus, commissum a se facinus non abscondit; sed humiliter confitebatur damnum, quod ei fecerat ex caballo, & illecebræ machinationis furtum per ordinem professus est, qualiterque propter decoram nobilitatem ejus suis jumentis ad propagationem sibi immittere concupiscebat, & imposterum conservare; asserensque, quod hoc facto divina consecuta est illum inde vindicta, quia fere quadraginta duo de ipsis erant jumentis, quæ omnes elephantino morbo perierunt, excepto una habuit superstite, quam tunc sequebatur.

[33] Qui præfatus comes dum hæc profiteretur, duos, [recipit: a Grimoaldi ministris detentus, sepulcrum S. Valentini invisit] quos optimos habuit, Viro Dei obtulit, & insuper ducentos solidos auri, humili voto deprecans, ut

Vir Dei pro emendatione delicti, quod ei ingesserat, accipere non sperneret, & sibi delictum dimittere * cum magna humilitate petiit. Quibus verbis auditis, Vir Dei arrisit; sed per satisfactionem illius indulgentiam illi dare dignatus est. Ille autem cum magno honore per ministeriales suos eum usque ad fines Bojoariorum fecerat pertransire. Qui dum Majensem castrum intrasset, de * præpositis captus est custodibus, sicut longe superius diximus, a Grimoaldo duce præceptum esse, nec ulterius eum abire sinebant, nisi ad eorum principem pergere professus esset. Ibi que nolens & coactus quamdiu * detentus est, usquedam eorum missus Grimoaldo hæc nuntians reverteretur. Quæ Vir Dei impedimenta viæ suæ diligenter pertractans, consideravit divinæ virtutis gratia vacuum non fuisse. Tunc quoque ad beati Valentini confessoris sepulchrum situm in eodem castro sanctæ orationis causa se contulit, sollicito animo universam montanam urbem illius confinem circumivit, viditque terram fructiferam, & silvarum habentem copiam. Invenit etiam inter duos rivulos locum secretum & pervium absque habitatoris tramite, quæ appellabatur usitato nomine Camina.

[34] Intellexit non sine divino intuitu, & voluntate ibi se esse detentum, [vicina arva lustrat & ad Grimoaldum invitatus progreditur.] consideravitque loci secretum, & ad sanctæ religionis cultum delectabilem, cum magno amavit affectu; cogitavitque, sibi secretum ibi hospitium construere, si hunc locum condigno posset pretio comparare. Perquisivit tamen diligenter, cujus vel quorum hoc esset proprium, ut accedente opportunitate temporis, propter vicinitatem sancti & beati Valentini ecclesiæ sibi ad secretum hospitium vendicaret. Interea tamen hi, qui ad Grimoaldum ducem pro adnuntiatione illic adventus ejus missi fuerant, revertebantur, cum summa eum veneratione rogantes, ut ad eum venire non dedignaretur; adjecerunt etiam, ut *, si sponte venire nollet, datum sibi

præceptum esse, ut coactum eum deducere deberent. Intellexit Vir Dei illorum insidias, in prædicto castro suum * dimisit suppellectilem, ad prædictum principem mæstus perrexit.

ANNOTATA.

Scilicet S. Gregorio II. Dona autem potuere esse ex iis, quæ a Theodone ac Grimoaldo Bavaricæ tetrachis & a Luitprando Longobardorum rege acceperat, ut capite præcedenti dictum est.

Hinc plures, quos num. 32 Commentarii recensuimus, synodum aliquam Romanam statuunt ad annum 724, quo Sanctum Romam secundo advenisse putant: verum eam ad annum 717 potius referendam esse, diximus num. 42 & seqq.

Adde debere. Sensus vero est, quod cum Corbinianus iis esset instructus virtutibus, quas in episcopo ac apostolico viro sacræ Litteræ requirunt, eundem episcopali onere nequaquam liberandum esse, sed ad prædicandum Evangelium remittendum.

Scilicet cadaver erat istius præfecti urbis, qui Sancti equam rapuerat ad Padi ripam, ut capite præcedenti, num. 23 vidimus.

Periodum sic corrige: Dicens ... ,quomodo ex eadem percussione (forte apoplexia) languor quotidie dolori fomitem ministrasset, & quomodo, cum jam a medicis desperatus esset, sibi præcepisset &c.

Ad prata Rumanniana hæc notat Meichelbeckius: Forte Romagnam, locum infra Tridentum in ripa Athesis fluvii situm. Meichelbeckio consensit Roschmannus in Notitiis Mss., ubi ait: Prata Ruminiana planitiem esse non procul

Tridento, & loco hodie Romagnam dicto, etiam censeo. Non est ea quidem via regia hodie tritior, sed ad lævam Athesis per roboretum: verum olim ad dexteram Athesis ripam viam Romanam & militarem Tridentum duxisse, viri docti cum illustrissimo Massæo putant.

Solæcismos cum Surio sic corrige: Asserens, quod hoc facto, divina consecuta sit illum vindicta, ita ut fere quadraginta duo ex ipsis jumentis elephantino morbo perierint, excepto uno superstite, quod tunc sequebatur. Est autem morbus elephantinus quædam lepræ species, quæ gangrænæ more cutem ac carnem exedit.

De Castro Majensi hæc habet Roschmannus in descriptione comitatus Tyrolis, Germanice edita: Mayss, Latine Ad Alpes Majas, & sæpius Maja & Urbs Magiensis in medio ævo dicta, urbi Meraniæ adjacens, nunc tantum pagus est, in prædicto autem ævo ex Bavarorum ac Tyrolensium scriptorum testimonio, fuit urbs in confiniis Longobardorum & Boioariorum, postmodum (nescitur, quo anno) a dilapso monte obruta est, ita ut Merania ipsa pars veteris Majæ putaretur &c. Vide etiam dicta in Commentario num. 93.

CAPUT V.

**Grimoaldi ducis incestuosum connubium
dissolutum: cathedra Frisingæ fixa & dotata: acta
in eo episcopatu: Pilitrudis insidiæ, & Sancti fuga:
Grimoaldinæ familiæ pœna & excidium.**

[Grimoaldum ob incestuosum cum Pilitrude conjugium]
Cum autem ad palatium prædicti principis pervenit, per quendam dilectum ejus cubicularium eidem principi demandavit, dicens: nequaquam faciem illius videre velle, antequam inlecebrosam conjugem a se expelleret, quam tunc sibi copulavit post obitum fratris sui Theodoaldi viduam, quamque adulterina delectatione in

matrimonium sumpsit. Quæ etiam secundum hujus carnis putredinem pulchra videbatur & decora, genere præclara, ex Galliæ partibus genitricem secuta, istas pervenit in partes. Qui Episcopi dictis dum consentire nolebant, ipse in sua perseveravit sententia, eisque egregii prædicatoris Pauli testimonium demandavit inter cetera: quia neque adulteri, neque fornicatores regnum Dei possidebunt. Illa autem funestæ Herodiadis sequens exemplum, de morte Viri Dei cum malevolis sibi sequacibus tractare cœperat. Nam Vir Dei pro tali crimine meminerat, Johannem increpasse Herodem, & Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo viventi uxorem, atque ob hoc ab Herode interemptum esse: nullatenus tantum facinus se consentire prædixit, sed ante se esse moriturum.

[36] Sic quoque quadraginta diebus ab eorum se abstraxit obtutibus, [adire recusat: eos pœnitentes Deo reconciliat & invisit.] eosque per suos jugiter ammonere non destitit, ut tam execrabile amitterent conjugium, congruisque temporibus nunc, si converterentur ad pœnitentiam, blandis sermonibus Dei regnum promisit; nunc, si permansissent in ipsa malitia, terrorem magni diei judicii, æternumque eis cito venturum minabat * supplicium. Tandemque Dei solaciantem clementiam Omnipotentis, perduxit eos ad promissionem separationis suæ. Tunc Vir sanctus in Domini Christi Jesu confisus solatium, eos fecit ad suam venire præsentiam. Qui venientes humo se prostraverunt ambo, & extensis ejus brachiis ad pedes, se graviter peccasse, se nimium reos esse, professi sunt; & ita pura confessione ad pœnitentiæ confugierunt * remedia. Quorum capitibus Vir Dei manus imponens, signo æternæ salutis munire curavit, ex humo eos erigens, tantum lapsis pœnitentiam designavit, viam eis salutis ostendit, remediorum solatia elymosinarum largitate, jejuniorum & orationum frequentia, adipiscenda monstravit: & ut amplius sibi peccare caverent, sollicite

præmonuit. Sicque domum ingressi, communem sumpserunt cibum. Et sic a mensa principis Vir Dei alimoniam corporis sumpsit, ita etiam illis alimoniam animarum suarum, prædicando verbum Domini, ministravit.

[37] Tunc quoque Vir sanctus locum delectabilem in confinio Magense, cujus superius memoriam fecimus, [Prædio Camina a duce donatur, in quo templum ædificat:] Grimoaldum principem a possessoribus justo pretio emere persuasit, ut haberet justo labore adeptum, unde animæ suæ remedium acquirere potuisset. Quo hortatu princeps libenti animo obedivit, ibidemque cum beato Corbiniano veniens, convocavit ad se possessores loci illius, qui vulgo dicitur adhuc Camina inter duos rivulos Timone, & Finale: & dato proprio & adpretiato pretio justo emerat hoc sibi a viris nobilibus & potestativis in proprietatem, tam territorium agrorum, quam & prata, & vineas cum parte Alpium. Illi vero emptores cum testimoniis & testibus hoc illi confirmaverunt, sicut mos est, in proprietatem. Quo facto cum consilio fidelium, & Deo devotarum personarum tradiderunt hoc ipsum per manus sancti Corbiniani Deo, & sanctæ Genitrici Mariæ ad sanctam ecclesiam ejus sitam in castro Frisingense super fluvium Isara, & cum testibus ibidem perpetuo jure servire firmavit. Tunc quoque vir Domini Corbinianus habitaculum sibi illic construere festinavit, basilicam ædificavit, & sancti Valentini, atque beati Zenonis in eam patrocina collocavit, & in eorum dedicavit honorem, vinearumque ibi plantans copiam, & pomiferis decoravit arboribus, & alimoniam pauperibus præparavit. Cœpitque fama sanctitatis illius spargi late per orbem, a cujus ore laus Dei emanabat jugiter.

[38] [aliud prædium emit: sedem Frisingæ figit.] Fuit indeque non longe manens quædam vidua, nomine Fausta, cum duabus filiabus bonam habentes *

substantiam. Quæ Fausta dividens cum filiabus possessionem, portionemque suam Grimoaldo principi eo modo tradidit, ut usquedum illa viveret, eam tueretur, & custodiret, & ut post ejus excessum hoc sibi haberet proprium, in loco qui dicitur Chorzes cum omnibus ibidem pertinentibus. Post ejus quoque obitum beatus Corbinianus dedit Grimoaldo principi nongentos auri solidos, quos ei dudum Pippinus major domus Francorumque princeps in suam largitus est elymosinam, & comparavit hoc ipsum in Chorzes, & ambo pariter postea, idem beatus Corbinianus episcopus & Grimoaldus princeps tradiderunt hoc Deo & sanctæ Mariæ ad prædictam ecclesiam in castro Frisingense, ubi tunc beatus Corbinianus cathedram tenuit pontificalem.

[39] [Rari zeli exemplo duci succenset, & Pilitrude frustra obnitente, ei reconciliatur.] Quadam vero die vir Dei beatus Corbinianus cum præfato principe recumbens ad prandium, adposita mensa salutifero Crucis signo Christi cum Dei laude superpositam consignificavit * alimoniam. Prædictus quoque princeps ex mensa dilecto sibi cani panem per incuriam projecit. Quod dum Vir Dei conspexerat, dextro pede tripodi calcem dedit, & mensam dejecit, ita ut argentea vascula per pavimenta huc illucque spargerentur; & ex scamno prosiliens aiebat, ipsum tantæ benedictionis fore indignum, quam cani non verebatur projicere. Domum illius egressus dixit, se ab ejus curia omnino abstrahere, & nequaquam cum eo communem ulterius sumere panem debere. Hoc facto mulier de morte Viri Dei cœpit tractare, invidiæ facibus succensa, eo quod a viri inlicito sui concubitu per verbum Viri Dei fuerat alienata, incessanterque in aures viri sui invidiæ & odii fomitem ministravit contra Virum Dei. Dixit etiam, ob principis despectum hoc egisse Episcopum, nihil aliud dignum Episcopum esse, nisi mortis reum. Quam rem princeps idem diligenter perpendens, patientiæ servans custodiam, castri aditum claudere jussit, ne

tantus Vir Dei a se recederet, furore permotus. Ipseque cum primatibus suis palatium egressus, Viri Dei provolvebatur vestigiis, satisfactionem spondit, magnisque precibus, atque blanditiis, nec non & muneribus motum mitigavit Episcopum, & tandem vix unquam pacis osculum a beato promeruit Episcopo; & sic iterum pariter communem sumpserunt cibum. Cœperuntque Viri Dei divitiæ, quas non amaverat, crescere cottidie, & loca augescere.

[40] Cum quadam die in episcopio consedisset, molestia corporis illum concussit, [Ob mira in S. Stephani templo visa] ita ut more solito in vicinum montem ad oratorium beati Stephani martyris venire nequiverat *, matutinas Deo persolvere laudes. Clerum suscitans, illuc præcipiens ire. Illisque ascendentibus vox psallentium in ecclesia obviam illis est facta, tantaque modulaminis concordia magis ac magis in aures audientium perstrepebat, quanto ecclesiæ propinquius veniebant. Ex fenestris quoque & tecto tanta vis clari luminis radiabat per latera ejusdem montis, ut claritatem diei superaret. Hisque festinantibus, ecclesiæ januam introgressi * tantus claritatis fulgor evanuit; odor namque incredibili suavitate ibi triduo præflagrabat. Clerici quoque nimis timore perterriti, & velut mortui corruerunt in terram, alii ante fores, alii limina ingressi ecclesiæ. Qui dum tandem vires receperunt, domi cucurrerunt, & talia Viro Dei referebant.

[41] His ille auditis, se illuc deferre præcipiens, & ibimet ad manendum domum sibi construere jussit exiguam. [in eo monte domum exstruit: ibidem fontem elicit.] Cum autem ministri de aquarum penuria propter altitudinem montis, quam ibidem cottidie ferendo lassaverunt, murmurare cœperunt; idem Vir Dei quadam die diluculo consurgens, solus montis latera circumiens, in plaga Meridiana ad orationem se humo prostravit. Qua completa, baculum, a quo sustentabatur, in terram

defixit, cumque paullulum perfodisset, tantaque * mox ex eadem fovea aquarum emanavit habundantia, ut ad totius cellulæ ministerium sufficiebat; ita ut ad usque ima montis defluerat, & eo vivente nunquam defuerat.

[42] Cum autem quadam die idem Vir sanctus vespertina hora ad ecclesiam beatæ Mariæ in ipso castro Frisingense ad persolvendas Deo laudes venire voluisset, [Præstigiaticem mirabili zelo invadit & spoliat;] ecce quædam mulier rustica cum muneribus obviam perrexit; quæ maleficii suspicione jam antea Viro Dei fuerat divulgata, cum qua onusti carnibus ibant viri, & animal vivum secum ducebant. Quod Vir Dei cum conspexerat, subtiliter inquisivit, quinam illius esset adventus? Ad hæc mulier dolosa quendam juventutis flore principis subolem quibusdam illusionibus dæmonum asserens esse commotum, seque suo carmine, suisque artibus ad salutem perduxisse gloriabatur, & exinde hæc xenia deportare. Quibus auditis, Vir Dei vehementer expavit, & ex equo prosiliens, in tantum commovebatur furorem, ut ipse eam propriis non parcebat manibus cædi, cuncta, quæ cum ea portabantur, xenia ad portam civitatis jussit pauperibus erogare *. A portaque civitatis domi * revertens, perfidiam principis non cessavit deflere.

[43] [parricidam a Pilitrude missum evadens, Majas fugit] Sociaque antiqui hostis, ut serpens in Paradiso, mulier sparsis crinibus, receptis viribus, & cruentata facie, principis se offerebat obtutibus; quam cum ita flentem incesta uxor principis viderat, diabolico instinctu, furore incensa, vultu mutato, vim veneni, quam in corde tenuit, aspicientibus demonstravit: nam vitam auferre Episcopo moliebatur: quod tamen viro prodere distulit, latenterque ei insidias ad suimet laqueum mortis præparare non distulit, cuidam secretario suo nomine Nino silenter præcipiens, ut cum ab eadem villa recessisset Episcopus, collectis famulis eum interemisset *. Cumque ad aliam se

pergere Vir Dei disposeret villam, quidam ex Deum timentibus homo per fratrem ipsius Episcopi, beatæ memoriæ nomine Ermbertum, ei demandare curavit, quod eadem nocte iniquissimæ mulieris consilio deberetur * occidi, ni se mutatione loci studiose salvaret.

[44] [Grimoaldique familiæ interitum prædicit:] His dictis fidem adhibuit, intempestæ noctis silentio occulte se ad aliam contulit villam. Eodemque sequente crepusculo ecce prænotatus Ninus collectis famulis domum Viri Dei circumcinxit; quem dum diligentissime perscrutarentur, ut interficerent, sed minime repperierunt, cuncta ædificia evertentes, vacui & confusi reversi sunt. Episcopus autem, sumpto secum clero, locum amisit, ad Magensem * castrum perrexit. Per quendam ex suis principi demandavit, quod sub omni celeritate ipsa maligna mulier in foveam, quam ipso * paraverat, corruere debuisset, & ipse cito vitam finire. Quasque insidias dum Grimoaldus cognovisset, & abscessum Viri Dei, misit & humili prece eum redire rogavit; ille autem minime ita fecit; sed dixit, Jezabelis pessimæ mulieris insidias oportere cavere.

[45] [prædictio ab eventu comprobatur.] Sed talibus insidiis qualis foret secuta vindicta, silentio non est opprimenda. Præfatus etiam puer ejus, quem nefando carmine, ut diximus, machinis diaboli mulier præcantabat, rebus excessit humanis, eoque mortuo Grimoaldus ab insidiatoribus interfectus est. Prædictus vero Nino, qui in necem episcopi collegium fecit, probrosa morte vitam finivit; qui cum ventrem purgare sedebat, lancea percussus interiit. Ad ultimum vero Pilitrud prænotata mulier Carolum in Gallias sequebatur, pro meritis suis ab eodem repudiata, omnem honorem & gloriam perdidit, propriisque exuta substantiis, novissime nihil, nisi unum asellum ad subvectionem possidens, in Italiam pergens, vitam finivit. Natique ejus, qui ex illius

prodebant utero, cum multa tribulatione regno privati, vitalem amiserunt flatum.

ANNOTATA.

Boioariæ tetrarchæ, de quo meminimus in Commentario num. 47.

Theodoaldi vidua & incesta Grimoaldi uxor, ab Aribone vocatur Pilitrud, apud Surium Piltrud, a Continuatore Fredegarii Bilitrudis. Hanc genere Francam fuisse, ex dictis colligitur: at quæ ejus fuerit mater, quam a Gallia secuta dicitur, ignotum est. Hadrianus Valesius tom. 3 Rerum Francicarum lib. 24 pene omnia, quæ biographus de Pilitrude refert, in dubium vocans ait: Quæ si vera essent (nam Aribonis istius auctoritatem non magni facio) existimandum esset, Bilitrudem natione Francam potius, quam Baioariam fuisse: cum matrem suam, nescio quam secuta, ex Gallia in Baioariam venerit, ibique duobus Theodonis ducis filiis, alteri post alterum nupserit &c. Nullam tamen sui dubii causam profert. Nescio, an satis sanæ crisis sit scriptorem pene synchronum absque solida ratione tamque leviter rejicere.

Surius habet: tam graviter lapsis. Porro an hæc sincera fuerit pœnitentia saltem in Pilitrude, merito dubitatur: videtur enim hæc in aula principis mansisse, aut saltem majori quam par erat apud illum auctoritate valuisse, ut per decursum videbimus. Forte etiam post expiata peccata ad vomitum redierunt.

Erat ea ecclesia S. Mariæ dicata, in qua Sanctus Cathedram suam posuit, estque hodiedum cathedralis. Adi Commentarium num. 49, ubi etiam de Frisingensis urbis situ & Isara flumine quædam ex Meichelbeckio notavimus. Frigisingense pro Frisingense olim dicebatur.

Miraberis haud dubie, lector, hoc Sancti factum: satis tamen congruum est ejusdem zelo, de quo biographus num. 10 ait: Erat enim Vir Dei ... contra vitia ad irascendum facilis, velox ad ignoscendum conversis.

Hæc & sequentia satis indicant, Pilitrudem aut non serio pœnituisse, aut ad vomitum redire voluisse.

Episcopium est palatium seu domus episcopi.

Vitiosa periodus apud Surium sic restituitur: Cum autem ministri de aquarum penuria propter altitudinem montis, quod ibidem quotidie ferendo lassarentur, murmurare cœpissent, Vir Dei quodam die &c. Erat autem haurienda aqua ex fluvio Mosaco, qui ad prædicti montis radices labitur.

In Suriano codice aliisque mox subditur: Cum autem Vir Dei obiisset & ejus corpus a nobis ablatum fuisset, per quadraginta annos sine aqua humus arida remansit. Eo a nobis iterum adducto, pristinam abundantiam aquarum fons ipse ministrabat. Huic nostræ assertioni fons ipse intuentium oculis testimonium præbet. Sed ad historiæ narrationem redeamus. An hæc interpolatori adscribenda sint, ut suspicatur Meichelbeckius, examinavimus in Commentario num. 64 & 65. De ipso fonte, erectoque super illum sacello, aliisque ad eundem spectantibus sat multa diximus § 6 a num. 66 usque ad 71. Ceterum pro deficiebat, defluxerat & defuerat, lege sufficeret, deflueret, deesset.

Ermbertus seu Erimbertus S. Corbiniani frater, ipsi in episcopatum successit, consecratus institutusque a S. Bonifacio, archiepiscopo Moguntino, in cujus Actis tom. 1 Junii, pag. 468 sic legitur: Provinciam Baioariorum, Odilone duce consentiente, in quatuor divisit parochias, quatuorque his partibus præsidere fecit.

CAPUT VI.

**Reditus Frisingam: mors sancte obita: sepultura:
corporis translatio Majas facta, miraculis clara.**

[Frisingam redux, mortis præsciis, sepeliri Maji postulat:] Hucbertus quoque cum regnare cœperat, cum omni dulcedine, & summo honore virum Dei Corbinianum episcopum ad se revocavit: quem tanto venerabatur honore, ut sanctis meritis dignus erat, eumque sibimet sacro fontis lavacro sociavit. Cumque exitus Viri Dei adpropinquasset, tempore * obitus sui non ignarus, carnalem fratrem suum Ermbertum in Italiam ad Longobardorum direxit principem, postulans firmitatem sui proprii conquestus in Magies, quod sanctæ Mariæ tradidit, ne exinde auferretur, & ut suum corpusculum ad sepeliendum ibidem recipere præcepisset, quod illic beato Valentino commendavit vivus; quia in eodem castro dominabantur tunc in tempore Longobardi. Hoc igitur octavo ante sui obitus diem mandare curavit, & horam egressionis suæ prædicens, alium ex suis discipulis ad Hucbertum principem direxit, suum obitum nuntiare, poposcens *, ut cadaver illius deferre juberet, ubi vivus promiserat.

[47] Veniente autem jam exitus sui die, balneum sibi præparare jussit, [pie moritur, & Frisingæ sepelitur; sed invito Deo:] & ex more abluens corpus, capillos sibi tondere fecit, caput & barbam radere: vestibus indutus, Deo sacrificium obtulit, & Viaticum propriis manibus recepit. Missarum quoque solemnitate completa, domum ingressus, post perceptionem Corporis, & Sanguinis Christi, vinum adduci sibi jussit, modicumque degustavit, nihil doloris simulans, signum Crucis Christi in capite impressit, & Deo spiritum reddidit: qui a ministris in beatæ Dei Genitricis Mariæ ecclesiam traditus est sepulturæ. Sed tanta mox pluvia subsecuta est, atque procella triginta diebus & noctibus, ut nec una hora

unquam cessavit *: ubi aperte monstrabatur, quod ibi requiem corporis sui habere nolebat, sed in loco, ubi poposcerat vivus.

[48] Missi vero a principe Hucberto reversi, adtulerunt mandatum, ut beatissimi Viri corpus Magias adportaretur, sicut ipse vivus disponebat; ut ibi in ecclesia sancti Valentini sepeliretur. Qui cum tricesimo obitus sui die de humo elevabatur, [quare Majas defertur: puella blasphemans punita.] tali repertus est forma, ut vivus esse a multis putabatur *, & quasi valens dormiret. Confluebat namque ibidem magna multitudo virorum ac mulierum, quasi ad ingens spectaculum, tanti Pontificis lamentabantur abscessum. Cumque corpus ejus plaustro imposuerunt, circumdata multitudo, quædam puella, nomine Magata, non longe inde secrete cum sibi socia stabat, atque inquisivit, quid de episcopo ageretur; nefandum valde proferebat sermonem, suæ lasciviæ atque immunditiæ socium illum fuisse. Quodque ideo tam improvide dixit, quia sociam suam deludere voluit. Cui * statim divinæ virtutis est vindicta secuta: nam femur ejus dextrum ita flectebatur, ut calcaneum ejus natitenuis rigebatur; quæ in sua claudicatione permansit, usquedum vixit; binis sustentabatur baculis, unius pedis utebatur gressu, tamen in luctu & pœnitentia, & jugi confessione peccatorum suorum, atque sanctæ orationis studio, vitam multis annis duxerat.

[49] [Calidum sanguinem e naribus emittit: febricitans sanatur:] Pergentibus itaque, atque deportantibus corpus episcopi, cœpit de nare ejus emanare sanguis tam calidus, ut de corpore vivo solet effluere. Quod * colligentes in vasculum fictile, deportaverunt usque ad castra, ubi cum sancto corpore vigilando illa nocte manserunt, & vas plenum ipsius sanguinis in eodem loco effodierunt * in terram & cooperuerunt. Cum autem venissent partibus Vallenensium cum sancto corpore ejus,

quidam nobilis Romanus, nomine Dominicus, Breonensium plebis civis, magnis vexatus febribus ad Viri Dei corpus cum venisset, de meritis sancti Viri sanitatem confisus recipere posse, subter corpus ejus se submisit altero quidem latere: surrexit pristinae sanitati restitutus tam valenter, ut in proprium prosiliens equum, Dei omnipotentis virtutem, & beati Viri merita collaudans, domi sanus reversus est.

[50] [rursam sanguinem emittit: eo sepulto, templum] Ministri Viri Dei cum ad castrum Magensem cum ejus corpore venerunt, ab ipsa porta urbis a custodibus Longobardorum repulsi sunt, dicentibusque, quod nequaquam corpus Viri Dei fuisset, sed machinis fore insidias, ut urbem capere potuissent. His ita dicentibus, ecce literae Longobardorum regis a Papia ibidem pervenerunt, qui tanti Viri corpus praecipiebant * cum summo honore recipere. Eo suscepto, vasculum aperuerunt, ut experimento inde didicerent * veritatem. Cumque pallium super corpus ejus expansum, & sudarium, quod fuerat super caput ejus, abstulerunt, ecce iterum sanguis ex naribus Viri Dei egrediebatur calidus, qui inter tot montium spatia fuerat adportatus, & pulcritudo faciei illius talis inveniebatur coloris, ut prius erat illo vivente. Tunc omnes una voce magnificabant Deum in Sanctis ejus, & sanctum corpus ejus in ecclesia sancti Valentini confessoris Christi, ut ipse disposuerat, sepulturæ tradiderunt.

[51] [splendore ac suavi odore repletur: puer e praecipitio lapsus servatur.] Post sepulturam vero tertia nocte media magnae claritatis lumine cerei ardentes reperti sunt in eadem ecclesia, ita ut diei vincerent fulgorem, & candorem nivis, magnusque ibidem & optimus secutus est odor, qui illic permansit usque ad matutinorum solemnia. Quadam vero die, dum puer parvulus in nocte ipsius Viri Dei solemnitate * secus muros civitatis incaute cucurrit,

pede lapso, in præcipitium decadebat *. Erat autem ibi tantæ altitudinis spatium, ut intuentes magnus pavor invaserat, atque ad ima montis ipsius Passeris amnis intumescerat fluctibus. Quis enim aliud de ipso arbitrabatur puero, nisi mortuum esse inter saxorum scopula ingentia disruptum, & quamvis ad ima montis pervenisset, nequaquam fluvium evadere potuisse. Qui dum irent cadaver quærendo, amne super pontem transgresso, contemplabantur puerum saxo cuidam inhærentem. Qui arreptis funibus per saxorum ascendebant cavernas, usquedum jacentem ad puerum pervenerunt. Qui ob merita Viri Dei non tantum vivus, sed etiam inlæsus repertus est: quique etiam divinæ largitatis munere ipso * præerat postea episcopatui multis diebus.

ANNOTATA.

CAPUT VII.

Corporis reductio Frisingam prodigiis illustrata.

[Aribo episcopus in synodo statuit] Interea vero dum a Longobardorum gente corpus beati Valentini confessoris Christi de eodem castro ablatum fuerat, & Tredentinam urbem deportatum, ac postea a venerando Tassilone a duce in Pataviam civitatem cum summo evectum honore: cæpi ego Hæres, licet indignus, ipsius Frisingensis sedis episcopus cogitare, quid de tanti Patris corpore agere debuissem, qui sine honore debito, & absque sancto illic jacebat officio, & exinde debitus ei honor deferri nequiverat. Ad divinum me contuli consilium, atque cum coëpiscopis meis, & cæteris approbatis ecclesiasticis viris tractare cæperam, ut ad suam sedem, uti episcopus erat ad gloriam Dei, & ad sibi debitum perduceretur honorem. Sanctorum Virorum corroboratus consilio, generaliter synodo congregato, & cogitationes, vel consilium beatorum virorum in medium protuli, quomodo sanctum corpus Viri Dei ad suum locum deduceretur. Pariterque

tractabamus, ne sanctus Vir nostræ curæ sublatus sine sancto officio, & nobis tantæ absentiae sine lumine remaneret. Et quod beati Valentini corpus inde ductum fuerat, per * quem iste Vir Dei suum illuc corpus decrevit perducere.

[53] [Sancti corpus Frisingam redire:] Inito namque generali consilio, triduanum jejunium decrevimus per totam diœcesim illam celebrari, psalmodiamque sine intermissione ab omnibus generaliter agere * atque Missarum celebrationes, cottidie divinam clementiam omnes unanimiter supplicare cum summa devotione & humilitate, ut per suam misericordiam alicui suam inde aliquando dignaretur Christus ostendere voluntatem. Utrum ad pristinum locum deberet adduci, vel exspectaturus esse * deberet ultimi & magni diei resurrectionem. Et ne inprovide contra divinum hoc ageretur consilium, triduo denique peracto jejunio, antequam ab invicem separemur * corporali præsentia, septem viris ex nostris divinæ largitatis gratia in somnis est revelatum, sicut tractavimus, ita perficere, ut ad suum locum Viri Dei corpus reduceretur. Omnesque inde nos humillime conlaudavimus clementiam Dei, & valedicentes invicem recessimus.

[54] Tunc quoque cum consilio omnium coëpiscoporum nostrorum, [in hunc finem Majas missi, post prodigia] cæterorumque ecclesiasticorum & ipsius venerandi principis Tassilonis ad repetendum Viri Dei corpus probos atque prudentes ecclesiasticos viros cum aliis sequacibus eorum direximus. Cumque ad prædictam urbem Magensem venerunt, & orationes suppliciter impleverunt, die declinato ad vesperam, inito consilio, quosdam in ecclesia demiserunt, alii vero ad percipiendam alimoniam domum ingressi sunt. Et ecce subito in ecclesia sonus factus magnus, ita ut validi tonitruvi vim superare videretur; & universam non solum ecclesiam, sed etiam

urbem commovebat. Tanta namque diei fuerat serenitas, ut nubes minime apparere videretur: tantusque omnes, qui in ecclesia erant, timor invasit, ut nimio tremore perterriti in terram corruerunt *, & quasi exanimes facti sunt *. Ac post paullulum viribus receptis ostium ecclesiae conati sunt egredi.

[55] Et ecce hi, qui erant in domo, obviam illis pervenerunt, [corpus incorruptum solemniter transferunt] & sic omnes cum ingenti pavore ecclesiam ingressi, cum omni reverentia pernoctaverunt in vigiliis usque in crastinum. Sed quid mirum, si tali sonitu Vir Dei voluisset ostendere, suam ad revocandum corpus ejus fieri voluntatem. Mane autem facto, magna cum supplicatione accedentes & tumultum aperientes, invenerunt sancti Viri corpus tam pulcrum, & optimi coloris, ut etiam leniter dormiens putaretur. Elevatusque de eodem loco cum omni gloria & honore & feretro appositus, cum magna pedestrium virorum religiosorum adducebatur prosperitate, ut equitantes vix eos sequi potuerunt *. Amissis autem transalpinis jugibus, cum ad portam Oeni fluminis cum tantis reliquiis viri religiosi pervenerunt, magna turma clericorum, & laicorum utriusque sexus ibidem obviam sancto Viri Dei corpore * facta est, & cum magna letaniarum laude receptus est.

[56] Cumque inde in quendam campum aptum quieti venerunt, [in via manus arida restituta, energumenus curatus:] ibique repausantibus quidam vir, manum habens aridam a juventutis suae flore, accessit & subter feretrum sacri corporis se immisit, confisus in Dei misericordia & in merita Viri Dei; restituta est sanitati manus ejus, sicut altera. Eadem quoque nocte quidam illuc veniens daemone arreptus, tali furore motus, ut vix a fortissimis viris potuit * contineri, qui magnis perturbatisque vocibus perstrepebat, atque clamabat inmaniter. Is dum subter feretrum corporis Viri Dei a fidelibus viris supponeretur,

ita suffragante gratia Dei & intercessionibus sancti Viri, spiritus ab eo immundus abscessit, ut numquam ulterius ei ullo modo nocendi habuit * potestatem.

[57] Contigit autem, ut adportato sancto corpore ventum est adeundi locum, [in loco sanguinis inventi sacellum exstructum] ubi jam olim, dum de Frisinga cum eodem corpore pergentes castra metati sunt, ibique collectum sanguinem ejus, ut supra dictum est, in vase fictili tabula superposita suffodierunt *. At sanctæ crucis bajolus super ipsum vasculum ignoranter crucem affixit, inventusque est idem sanguis Viri Dei tali colore, atque decore, ut eodem die a vivente effluxisset corpore. Ibique hymniticam laudem & gloriam Domino Deo nostro suppliciter omnes lætanti animo decantabant: & idem sanguis ibi cum omni honore recondebatur, & magna ibi cum festinatione ecclesia construebatur, ubi innumerabilia Dei omnipotentis clementia ad honorem, & gloriam sancti Nominis ejus operari dignatus est multorum sanitatum miracula per intercessionem, & merita beatissimi Viri Dei.

[58] [Corpus Frisingæ honorifice deponitur.] Inde autem moto sancto corpore beati Corbiniani omnis cœtus pontificum & ecclesiasticorum turba inmensa una cum summo principe eorum Tassilone obviam currentes, cum omni ecclesiastico dignanter obsequio, cum hymnis, & canticis spiritualibus, omnique laude ab universis & gloria in ecclesia sanctæ Mariæ, ubi primitus erat humatus, ad honorem & gloriam Christi nominis & ad totius Christianæ plebis, ejus suffragia postulantis, est honorifice exaltatus I. Pro cujus meritis & precibus magnas ibi virtutes divina virtus cottidie operari dignatur, & multis vere in Deum credentibus & fideliter petentibus opem confert, præstante & miserante Domino Jesu Christo, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.